



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XXXIII. Multiplex divisio voti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

que pertinent ad suam personam; puta quod obliget se religioni per votum; vel quod matrimonium contrahat. Non autem est sue potestatis quantum ad dispensationem domesticam. Unde circa hoc non potest aliquid vovere, quod sit verum, sine consensu patris. Et in 4. dist. 38. q. 1. a. 1. q. 3. ad 4. in his in quibus uxor viro tenetur, & e converso, neuter potest vovere sine mutuo consensu, sicut patet de voto continentia. Sed quia in dispensatione domus, & regimine vita, mulier est subiecta viro, & non e converso; ideo vir potest in talibus vovere, sine consensu uxoris, sed non e converso. Si tamen uxor de expresse consensu viri, castitatem voverit, non potest votum revocare, ait S. Doctor in 4. dist. 22. in expositione textus. Nec contrarium docet Augustinus in qq. de libro Numerorum c. 59. licet primâ facie dicere videatur quod possit revocare uxorem ad se: quia loquitur quantum ad iudicium Ecclesie, seu fori externi, quando permissio, seu consensus viri in votum uxoris, non potest probari.

CAPUT XXXIII.

Multiplex divisio voti.

259 **V**otum dividitur 1^o. in absolutum & conditionatum. Absolutum est illud quod absque conditione fit; conditionatum, quod cum conditione. Et istud non obligat; nisi purificatâ conditione. Absolutum verò statim est implendum, juxta illud Deuteron. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* 2^o. in perpetuum & ad tempus. 3^o. in expressum, quod verbis distinctis exprimitur; & tacitum, quod fieri censetur, eo ipso quo voluntariè agit, vel suscipitur aliquid, cui votum est annexum. Hujusmodi est votum castitatis, quod eo ipso emittere censetur, qui voluntariè suscipit Ordinem sacrum, cui ex Ecclesie institutione votum castitatis est annexum. 4^o. in personale, reale & mixtum. Reale est, cujus materia est extra voventem, ut bona temporalia. Personale, cujus materia est ipsa persona, vel actio aut ommissio voventis, ut cum quis vovet castitatem, jejunium, &c. Mixtum, cujus materia est persona, vel opus voventis, simul & bonum aliquod temporale ipsius, ut dum quis vovet peregrinationem cum oblatione. Personale non obligat nisi personam voventis, non alterius. Unde quod dicitur can. *addidisti* 20. q. 1. *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit*, intelligitur, dum filius à parentibus in tenera ætate regulari traditus disciplinæ, post adultam ætatem voluntatem suam voluntati accommodat parentum, non aliter, prout ibi notat Glossa, & aperte declarat Cælestinus III. cap. *cum scias* extrav. de Regul. ubi præcipit, quod si puer in tenera ætate monachali veste indutus, annos discretionis adp-

tus, nolit ratum habere quod factum est, sitæ libertati restituatur. Reale non solum obligat voventem, sed & hæredes ipsius, hoc sensu quod ipsi teneantur exequi votum reale defuncti (sicut cætera debita realia ipsius) juxta cap. ex parte 18. de censibus: quia bona defuncti ad ipsos transeunt cum isto onere. Ipsorum quidem obligatio non tam religionis est, quam justitiæ, ex quasi contractu, quo advenientes hereditatem se obligare censentur ad onera ipsius, secundum vires hereditatis. Peccabunt tamen, etiam quodammodo contrareligionem, si non solvant rem ex justitiâ Deo debitam, utpote per voluntatem voventis Deo quodammodo consecratam. Denique votum mixtum, qua parte reale est, naturam realis sequitur; qua parte personale, naturam personalis; adeoque quæ reale, hæredes obligat; non quæ personale. Si ergo defunctus voverit peregrinationem ad Virginem Lauretanam, cum anathemate argenteo, hæredes tenentur ad anathema, non ad peregrinationem.

Cæterum antequam hæredes satisfaciant votis realibus, satisfacere debent ea quæ defunctus creditoribus debebat ex justitiâ: quia Deus non acceptat sibi oblata, cum præjudicio juris, alteri jam acquisiti. Debent tamen prius solvere vota (utpote fortius obligantia) quam simplicia legata pia.

5^o. famosa est divisio voti in simplex, & solemne. Solemne est illud quod emittitur, vel per professionem Religionis approbatæ; vel per susceptionem Ordinis sacri, v. g. Subdiaconatus. Omne autem votum quod neutro isto modo solemne est, est simplex (ait S. Antoninus p. 2. tit. 2. §. 1.) sive illud fiat publicè, sive privatim, sive ore, sive tantum corde. Unde cap. *quod votum* de voto sic habetur: *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem, expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua verò vota (est quantum manifestius sunt emissa, tanto durior persistencia transgressoribus debeatur) non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.*

CAPUT XXXIV.

Melius & laudabilius est facere aliquid ex voto, quam sine voto.

ITa S. Thomas a. 6. Et probatur 1^o. quia 262 Plal. 75. Spiritus S. consulendo hortatur ad vovendum: *Vovete, & reddite*. Sed consilia divina non sunt nisi de meliori bono. 2^o. qui sine voto facit aliquid, quod solum est consilii, tantum implet unum consilium, scilicet de faciendo. Qui autem vovet, & facit, implet duo consilia, de vovendo scilicet & faci-